

† R. P. Patritius I. Lynch (1867-1940)

(*Prov. Austral.*)

P. Patritius I. Lynch natus est a. 1867 in oppido Hiberniae Oldcastle. In novitiatum Congregationis nostrae (Bishop Eton) ingressus, d. 21 Iun. 1887 vota professus est. Studiis in collegio Teignmouth Angliae meridionalis absolutis, Patritius Lynch presbyter ordinatus est d. 1 Sept. 1895.

Post ordinationem sex annos ut missionarius in Hibernia Angliaque laboravit, et nomen Patris Lynch — missionarii insignis — celebrabatur.

Multis dein annis vastas Australiae regiones peragravit hic vir apostolicus. Libentissime pro animabus ope spirituali omnino destitutis non solum in Western Australia, sed etiam in New South Wales, in Queensland et in New Zealand se impendebat; omnibus his locis etiam excellebat in secessibus dirigendis.

A. 1924 domus Mayfield Rector nominatus, iam anno sequenti incipiente, infirmitate coactus, domi manere debebat, quae infirmitas postea in gravescebat. Nihilominus iubilaeum aureum professionis — d. 21 Iun. 1937 — celebravit. Post quindecim aegrotationis annos, dolorem animo aequo passus, fortiter morti obviam ivit, quae accidit d. 5 Iul. 1940.

Exsequiis, d. 7 Iul., ipse Archiepiscopus Perthensis Exc̄mus et R̄mus Raymundus Prendiville praefuit — assistentibus sacerdotibus et fidelibus permultis — et funebrem orationem habuit. R. I. P.

F. LUDGATE

---

*Qui non novit missiones per propriam experientiam neque in eis sacramentum poenitentiae ipse administravit, intelligere nequit, quantus sit earum fructus.*

(S. ALF., *Riflessioni utili ai Vescovi*, c. II, § 5).